



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XXXIII. De majoritate, & obedientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XXXIII.  
DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

S F C T E O I.

*In quibus consistat majoritas, sive prerogativa, ac praerogativa majorum, & obedientia ac reverentia à minoribus seu inferioribus exhibenda superioribus, & majoribus?*

§. I.

*Quà ratione quis, & ex quibus causis major habeatur inter Clericos?*

**V**ariis modis potest quis Cleric<sup>o</sup> altero esse major & dignior. Primò scilicet potestate & jurisdictione, prout Archiepiscopus major est Episcopo, & Archidiaconus Archipresbytero. Secundò ratione Ordinis, prout major est Presbyter Diacono, & hic Subdiacono, &c. ob quam causam in *c. statumimus 15. h. t.* vult Pontifex praeferi eos tum in loco sive sessione, tum in portione beneficii, seu praebenda consequenda, &c. qui ordine majores sunt, quamvis posterius recepti sint, eò quòd prerogativà Ordinis dignior sit, quam prerogativa temporis, quæ tamen constitutio non in omnibus Ecclesiis observatur, ob consuetudinem contrariam *regula juris 54. in 6.* conformem, & hinc constitutio illa localis tantùm habetur pro Ecclesiis urbis. Tertio, Majores alii dicuntur ratione antiquitatis, seu paritatis temporis, juxta *regulam 54. qui prior. in*

*6 & juxta c. 1. h. t.* quæ majoritas de jure locum habet inter eos, qui ordine sunt æquales, & nisi specialia privilegia aut consuetudo recepta aliud jubeat. Quatò denique dicuntur alii aliis majores ob prerogativam seu dignitatem ordinantis, prout in *c. Per tuas 7. h. t.* ille praefertur (cæteris paribus) aliis, qui à Romano Pontifice ordinatus est. Sicuti tamen hi tales non eximuntur à jurisdictione Episcopi per hoc quòd à Papa ordinati sint, ita etiam puniri possunt ab Episcopo, si delinquant.

§. II.

*De obedientia, & reverentia à minoribus, seu inferioribus praestanda majoribus, aut superioribus, & pænis inobedientium.*

**I**n tribus potissimùm consistit obedientia, quæ à minoribus majoribus debetur, in obedientia scilicet & reverentia, in mandato à majore accipiendo circa ea, quæ ad cultum divinum, aut bonum commune pertinent, & in submittendo se superioris jurisdictioni, quoad causas varias judicandas & decidendas. Et quamvis omnes Christi fideles etiam Principes suis Episcopis debeant in his omnibus obedientiam, cum his tanquam suis ordinariis Pastoribus omnes subjeti sint, sæpius tamen etiam ex specialibus privilegiis aut consuetudine immemoriali excepti

excepti sunt, prout etiam patet ex *c. Solita* 6. b. t. Et hinc Abbates etiam & Sacerdotes alii, qui curam animarum habent, si Episcopo subiecti sint, & ad synodum diœcesanam vocentur, comparere debent, *c. Quod super his* 9. h. t. ita ut nolentes comparere per censuram etiam Ecclesiasticam compelli possint, quin imò etiã Abbates exempti, si populum sub se habeant, comparere debent. Observetur tamen in his consuetudo Diœcesis, videatur etiam de obedientia exhibenda Cardinalibus à Clericis sui Tituli *c. His, quæ* 11. h. t. & de obedientia ac reverentia suis Abbatibus exhibenda à Monialibus *c. Dilecta* 12. h. t. & *c. legebatur* 3. ac *c. cum in Ecclesiis* 10. h. t. de obedientia ac reverentia à Clericis suo Episcopo aut à regularibus suo Abbati promittenda, juramento scripto, vel manuali tantum & verbali promissione. Et de juramento fidelitatis ac obedientiæ suo Archiepiscopo exhibendo ab Episcopis suffraganeis *c. cum dilecti* 13. h. t. Et denique de componenda controversia, quæ inter Clericos nonnunquam oritur de superioritate unius & subiectione alterius, *c. final* h. t. ac quæ de poenis inobedientium statuantur in *c. 2. §. 5. h. t.*

## §. III.

*An minor, seu inferior possit exercere jurisdictionem, ac potestatem in se superiorem, aut illi hic subiecti?*

Respondetur, ordinariè hoc fieri non posse, ut ostenditur in *c. Cum inferior* 16. h. t. nisi in casu, quo inferior Delegatus Papæ constituitur, aut speciale privilegium obtinet contra Superiorem.

## IV.

*An Ecclesia, cujus Episcopus, seu Prælatum, vel etiam Capitulum, & Clericum in hæresin vel schisma incidit, jurisdictionem, & alia jura ac privilegia amittat?*

Respondetur ex *c. Inter quatuor* 8. h. t. clarè colligi, quòd omnia Ecclesiastica jura & privilegia amittat Ecclesia (saltem quoad exercitium, & post declaratoriam sententiam incurset hæresis aut schismatis, si in hæresin vel schisma, non quidem Episcopus tantum aut tantum Capitulum, sed Episcopus & Capitulum labatur) prout etiam de hæresi colligitur ex *c. Vt commissi* 12. §. *privandi de hæresi* in 6. & de schismate ex *Can. Novatianus causa* 7. 9. 1. (cum enim hi tales non sint membra Ecclesiæ, meritò privantur juribus Ecclesiæ) ita tamen ut eadem vel ipso jure, vel per sententiam Judicis recuperata sit, postquam rediit ad unitatem Ecclesiæ, nisi absolutè jam in aliam Ecclesiam jura illa legitimè auctoritate translata fuissent.

## §. V.

*De subiectione, & obedientia exhibenda Summo Pontifici.*

De hac agitur in *Extravag. Vnam sanctam* 1. & in *Extravag. Vt Prælatorum* 2. & in *Extravag. Etsi deceat* 3. h. t. inter communes. & aliquid etiam habetur in *Extravag. Ecclesia. Vnica* Ioan. 22. h. t. quæ videri possunt.

## SECTIO II.

## §. I. I.

## De Jurisdictione &amp; potestate Capituli.

## §. I.

## De Officio, &amp; potestate Capituli, Ecclesiæ, vel sede non vacante.

Capituli Appellatione hinc intelliguntur soli Canonici Capitulares cum suo Decano, vel Præposito Collegialiter congregati, ita tamen, ut Episcopus, aut Abbas qua talis sub hoc Capituli nomine non comprehendatur, uti constat ex Rubrica Tituli de his que fiunt à Prælati sine consensu Capituli. Hoc ergo taliter acceptum Capitulum, sede non vacante de jure communi, nullam jurisdictionem Ecclesiasticam habet, in criminalibus aut civilibus causis singulorum Canonicorum, aut Ecclesiæ illi subditorum seu ministrorum, ut innuit Glossa in c. Irrefragabili 13. V. per Capitulum. de off. Jud. ordin. Et quamvis multi Capitulo concedant, quod sede non vacante possit statutorum suorum transgressoribus pœnas imponere, ex hoc tamen non probatur, competere illis jurisdictionem aliquam, sed tantum probat, quod usum aliquem seu exercitium jurisdictionis, à superiore fortassis permissum, sine legitima consuetudine acquisitum habeant, nisi malis dicere, teneri ad tales pœnas singali v. g. Canonici ex vi pacti aut juramenti, quod de statutis servandis fecerunt.

De Jurisdictione, & potestate Capituli Cathedralis, sede vacante.

Dicitur jam supra, quod in Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sede Episcopali vacante, omnis jurisdictione Episcopalis ordinaria tam contentiosa quam voluntaria tam in temporalibus quam spiritualibus transeat, exceptis illis, que jus commune excipit, vel Pontifex sibi specialiter reservat, prout summitur etiam ex c. cum olim 14. junctâ Glossa V. Capitula b. 2. (ne per longam sedis vacationem aut Episcopi absentiam damnum patiatur Ecclesiæ) sive deinde de jure communi Episcopo jurisdictione aliqua competat, sive per legitimam consuetudinem ea acquisita sit, aut ex privilegio in perpetuum concessio, ita ut in ordinariam Episcopi jurisdictionem transeat.

In specie verò potest Capitulum, sede vacante, vel Vicarius, aut Administrator ab illo vel à Papa datus, 1. absolvere excommunicatos à jure vel ab homine, si curi Episcopus posset, si viveret. c. uni b. 1. in 6. Secundò potest excommunicare, aut alias censuras ferre, ejusdem enim potestatis est ordinariè ligare & solvere. Tertio potest dispensare in casibus, in quibus potest Episcopus dispensare potestate ordinariâ, sive per se, sive per accidens tales casus sint Episcopales. Quarto potest facere statuta totam Diœcesim obligantia, ita ut perpetua hæc sint, quamvis per Episcopum successorem revocari possint. Quintò potest, testamentorum executores compellere ad exequendum & rati-

ciones reddendas, ac negligentes punire sicut possunt Episcopi &c.

## §. III.

*De Casibus exceptis, in quibus Capitulum Cathedralis, sede vacante, non succedit in jurisdictione Episcopi, & de potestate, quam habet in causis beneficalibus.*

Plures sunt casus in jure excepti, in quibus jurisdic-tio Episcopi competens non transit ad Capitulum. Sic primò non succedit in jurisdictione purè delegata, quamvis in perpetuum Episcopis tale quid auctoritate Apostolicà exequendū commissum sit, cùm in tali casu non agat Episcopus suo nomine, sed nomine Papæ delegantis & committentis. Secundò non succedit in illis, quæ huic v. g. Episcopo concessæ sunt ratione dignitatis & præ eminentiæ præ aliis, ita ut aliis inferioribus & non Episcopis, quamvis Episcopalem aut quasi Episcopalem jurisdictionem habeant, non concessa sint, uti est facultas celebrandi Missam in quovis loco decente in itinere. v. g. Tertio non potest ea, quæ valde ardua sunt, & secundum consuetudinem Ecclesiarum solis Capitibus Ecclesiarum competere censentur, cujusmodi est visitatio Ecclesiarum, convocare synodum &c. nisi etiam ad hæc urgeat necessitas. Quarto non potest de bonis Ecclesiæ vacantis (sive immobilia hæc sint, sive mobilia pretiosa, & quæ servando servari possunt) vel de juribus Episcopalibus alienationes aut donationes facere, neque Ecclesiam pro mutuo accepto obligare, nisi in casu valde, magnæ necessitatis, aut evidentis utilitatis. Quintò non succedit in jurisdictione feudali,

cùm in illis, quæ jure speciali & extraordinario Episcopo competunt, nihil juris habeat Capitulum: & quamvis, vacante sede, ad Concilia Imperialia admittatur Capitulum, non tamen admittitur Capitulum Ecclesiæ Archiepiscopalis ad electionem Romanorum Regis vel Imperatoris, cùm hoc jus quibusdam Archiepiscopis Germaniæ ex speciali Privilegio & jure competat.

In causis verò beneficalibus potest quidem Capitulum, sede vacante præsentatos à Patronis ad beneficium instituere. *c. 1. de instit. in 6.* & electionem Prælatorum inferiorum confirmare. *c. cùm olim 14. h. 1.* cùm hoc sit necessitatis; non potest tamen conferre beneficia, vacante sede, quæ ad liberam collationem solius Episcopi pertinent, aut quæ ob negligentiam inferiorum collatorum, aut electorum ad Episcopum devoluta sunt, prout colligitur ex relat. *c. Cùm olim.* Cùm hæc talia conferre speciem quandam donationis aut dationis gratuitæ videantur habere, in quibus nullum habet jus Capitulum circa necessariam tantum administrationem Episcopo succedens. Incommodam tamen ad sex menses dare talia beneficia, & si interea Episcopus non eligatur, prorogare hoc tempus non prohibetur Capitulo, quia hoc exigit administrationis bonæ necessitas. Ob quam causam, si magna necessitas exigat, unire etiam potest Capitulum beneficia in omnibus casibus, in quibus ea potest unire Episcopus, modò non tendat talis unio in utilitatem Capituli, aut præjudicium juris Episcopalis: resignationes tamen beneficiorum liberas, spectato jure communi, recipere non potest, si talia beneficia ad liberam

liberam collationem Episcopi pertineant, cum admissio talium resignationum sit gratia, in illis autem, quae gratia sunt, non succedit Capitulum.

## §. IV.

*De jurisdictione, & potestate Capituli Ecclesiae non Cathedralis, seu Collegiatae, siue secularis siue regularis, Praelaturae vacante.*

**S**I omnimoda talis Ecclesia exempta sit, ita ut in capellas etiam subjectas plenam jurisdictionem quasi Episcopalem Praelatus habeat, omnem jurisdictionem & administrationem habet Capitulum Ecclesiae illius Collegiatae, vacante Praelaturae, sicuti vacante sede, habet Capitulum Cathedralis; quod si verò Ecclesia talis Collegiata exempta non sit, Praepositus tamen vel Decanus illius Ecclesiae jurisdictionem dignitati suae annexam in

Clericos sibi subiectos privativè, excludit scilicet Episcopo, obtineat in prima saltem instantia (per Privilegium scilicet aut consuetudinem legitimè praescriptam) tum spectato jure communi non transit in Capitulum illius Ecclesiae, vacante Praelaturae jurisdictione, sed ad Episcopum devolvitur. *c. his qua h. t.* (Cum non debeat induci devolutio ad Capitulum, nisi in jure exprimitur, jus autem, quando devolutionem talem ad Capitulum concedit, de Ecclesiis Cathedralibus vel quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, id est, de exemptis loquatur) nisi jus speciale aut consuetudo legitima aliud requirit, & hinc in Monasteriis etiam talibus non exemptis de jure communi ab Episcopo, mortuo Praelato, in cujus Diocesi existit Administrator constituendus est, secularis tamen iterum legitimè consuetudine aut jure speciali.

## TITVLVS XXXIIII.

## DE TREUGA ET PACE.

**T**reuga à Glossa in *c. 1. h. t.* definitur, quoddam sit securitas personis & rebus praestanda ad tempus, discordia nondum finita; siue si magis propriè de ea loqui velimus, aliud non est, quam induciae belli ad breve tempus inter hostes initae, ne se invicem laedant, ita ut Treuga à pace differat, in quantum Treuga est securitas personis & rebus ad tempus constituta, nondum sublatà penitus discordia, pax verò sit finis discordiae, seu belli, Duplex autem treuga est conventionalis alia, quae

ab hominibus inter se discordibus constituitur, & ex conventionione formam & modum recipit; alia Canonica seu legalis, quae à jure constituitur, de qua fit mentio, in *c. 1. & 2. h. t.* ita ut vi Capituli primi treuga absolutè servanda jubeatur à quarta feria post occasum Solis usque ad secundam feriam ante ortum solis, & Adventus tempore usque ad Octavam Epiphaniae, Quadragesimae verò tempore à septuagesima usque ad octavam Paschae (haec tamen constitutio de Treuga taliter in